



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XVIII. Cur precatio Salve sancta parens, post diurnas preces sit instituta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

## MIRAC. VIRG. XVII.

*Cur precatio SALVE sancta parens, post diurnas preces sit instituta.*

**C**Artusiensis ordinis monaci uniuersi ita olim libidine accensi pertentabantur; eorumque animi huc illuc diuersè trahebantur; ut nemo amplius sub illa religione militare statueret; nec quisquam eius iugum posset perpeti. Ieiunio prius instituto Deum ardentissimis precibus obtestati sunt; ut aliud quod remedium afferret, quo se miseri illis aerumnis expedirent. Non irritae fuerunt eorum preces; neque falsa spe producti sunt. Nam cuidam è monachis, qui sanctitate excelebat, diuina uoce responsum est; ut post diurnas obsecrationes, etiam quotidie dicere SALVE sancta parens, assuescerent. Quod ubi sedulo fieri coeptum est, statim illa molestia, qua tantopere premebantur, se planè liberatos uident. Immo eius ordinis firmiora fundamenta iacta sunt.

## MIRAC. VIRG. XVIII.

*Sacerdotis, quem à sacris agendis ob imperitiam Episcopus abstinere iusserat, ad Virginis nutum, eorum administratio permittitur.*

**I**mperitus sacerdos non aliter Deo rem diuinam facere didicerat, quàm in Virginis laudem. Itaque quolibet festo die, etsi aliorum coelestium memo-

ria recensenda erat, Virginem tamen solam commemorabat. Huic, ne rem diuinam faceret, episcopus prohibuit. Infelici autem & amissae dignitatis solitudine occupato, paupertas etiam repente obiecta est: qui se animo excrucians, ad Virginis misericordiam confugit. Ea interim milero sacerdoti fit obuiam, eique edicit; ut uerbis suis episcopo nunciet; ut nulla obiecta mora, ei, ut sacra posset facere, permittat: sibi ad episcopum minimè aditum parere; quòd infimae conditionis, & pauper esset, respondit. Fidem suam ei Regina sanctissima adstringens; futurum promisit, ut facilis uia fieret, nec sermone, aut congressu illius excluderetur. Iam sciebat adhuc sacerdotis animus, anticipati cura distractus, se non intromissum iri dubitans. Tunc iterum clementiae parès sedulo ipsum monuit, & hortata est, ut episcopum adiret; diceretque, se ab ea missum fuisse, quae manibus cilicium sustentarat; dum illud ipse reficeret, & consueret. Ijs ergo dictis fidem non adhibebat episcopus; sed, ubi de cilicio mentione fieri intellexit, statim sacerdoti auctor fuit, ut rem diuinam facere pergeret. Quinetiam eidem iussit, ne à sancto, ac pio instituto unquam abscederet; nec coeli reginae cultum ullo tempore desereret.

## MIRAC. VIRG. XIX.

*Mortaleis à coeli regina non solum animi, sed etiam corporis bonis saepe cumulari.*

**A**mplissimum patrimonium iuuenis, nihil pensi habens, profuderat; cuius maximam partem emerat